

gnificatur. Sin contrà difficulter illa fertur, nihil confert: teste eodem Hippocrate aphorismo secundo sectionis secundæ. Si denique quis à morbo cibum assumens non corroboratur, ipse aut pleniùs quàm par sit, nutritur, aut evacuationis indiget: veluti docet etiam Hipp. 8. aphor. sect. 2. Vbi ait impura corpora tantò plus lædi, quantò magis nutriuntur: Nam cibus præter naturam copiosior ingestus morbum procreat, quem eius sanatio indicat, eodem teste Hippocrate aphorismo decimo septimo eiusdem sectionis secundæ.

TQuibus signis externi tumores præter naturam internosci possint.

C A P . X I I I .

*phyma
bubo.*

Externi tumores, qui glandulosas partes occupant, phymata, phygethla, & bubones dicuntur: quorū hi si ab inflammationibus, aut ulceribus tibiarum, in inguinibus excitantur, febres ephemeras accersunt. Sed si absque inflammationibus tibiarum pedūmve ipsa obsident inguina, tum malignas febres atque pestilentes excitant. Ac è lue venerea interdum in inguinibus bubones oriuntur absqueulla febre: sed hi egerrimè coquuntur & maturescunt. Item, è carbunculis pestilentiibus sub alijs oriuntur etiam bubones maligni,